

**FLOS NATIVITATIS DOMINI
(DUM DIES REDIT MARIS MOTUS IN INDONESIA)**

**Flos vivax, *Euphorbia* cui *pulcherrima* doctis
inditur in libris nomen sed *Stella diei*
natalis Domini communiter appellatur
en iterum floret brumae redeuntibus astris:
5 in tepidis ridet domuum penetralibus ardens
purpureis foliis matutinamque fenestras
per vitreas haurit lucem dum lenta cadit nix.
Nox modo praeteriit qua Sanctus nascitur Infans;
iam minus a nobis caelum procul esse videtur
10 terraeque cum caelo (nullus flat in aere ventus)
sub niveis plumis albam componere pacem.**

**Flos peregrinus erat nobisque incognitus olim
utpote longinquis nascens in partibus Austri
atque recens tantum toto diffusus in orbe.
15 Anni tempus idem non est ubicumque locorum
et scitur quantum Boreas intersit ab Austro:
hic nostros verrunt aquilonia flamina campos,
ultima desertis rosa iam languescit in hortis;
illic laeta iniit longis sub solibus aestas
20 et rutilum capitis diadema euphorbia tollit.
Callidus idcirco topiarius excolit illam
calfacta in cella cum surculus advena frigus
horreat arctoum, Tropicorum sidere suetus.
Extorrem plantam quam fictilis accipit urna
25 et qua nos carus nuper donavit amicus
infestos contra ventos noctisque pruina
laesurumque gelu defendimus aedibus intus.
Hibernos menses nostri laris hospita degit;
nativae (ceu esset ei mens intima quaedam)
30 hactenus aestatis memor est et mense Decembri
in gelida floret septem regione trionis.**

Bis senae rediere dies quibus ut sacer est mos
quotquot eunt anni natum celebramus Iesum.
Haec est prima dies et nos somno excitat ante
35 quam lux albescat, niveus dum labitur imber,
fistula pastorum laeti praenuntia Festi.
O genialis hiems! dulce ac memorabile mane!
Qua se cumque aperit flos igneus, incola mundi,
lingua quisque sua (modus est tamen unus et idem)
40 Caelesti Puero sollemnes dicimus hymnos
dum sacra festivis resonant tinnitibus aera.
Per caelum Bethlehem resonant quod tingitur auro
et quoties alto conivet in aethere stella
in saeptis Iudae tener expergiscitur agnus;
45 Europae in pagis resonant atque urbibus usque
ad desolatam Thulen et hyperborearum
litora terrarum, gelidis quas alluit undis
extremum pelagus glaciatis molibus albens.
Attamen alta Novum nox hactenus occupat Orbem,
50 quamquam nondum etiam siluerunt funditus urbes
sed longum vigilant insomnes ut Babyloes,
excelsae in tenebris ubi mille ac mille fenestrae
splendent quas dicas suspensas aere stellas.
Notum est volventis bina hemisphaeria Terrae
55 oppositis vicibus noctem variare diemque:
cum primum sensim mane hic aurescere coepit
nondum illic medium compleverunt sidera cursum,
qua propter serus Divinus vagiet Infans.
Sed tantus trepidans hominum rerumque tumultus
60 infantis gracilem poteritne advertere fletum?
Atque potest! Sancta me quondam Nocte fuisse
Detroiti memini Lacuum in Regione nivali
perque vias urbis peditem solumque vagari
nunquam sopitas et curribus usque sonantes,
65 cum cantus quidam mihi longius accidit aures:
ex ecclesiola, quam circum fronte superba
aedes sublimes caput inter nubila condunt,
exibat vocum concentus, « *Adeste, fideles* »...
Et subitus ventus vellus turbabat aquarum
70 tanquam si nivea sub tempestate volaret
angelus obscura qui pervenisset ab Arcto.

Quin et Amazoniam nox hactenus occupat, imum
immensum planum calidi sub sidere Cancri,
et cras mane, dies Domini cum festa nitebit,
75 in silvis, ubi per virides anaconda recessus
furtive serpit variisque coloribus auram
miri praegrandes accendunt papiliones,
tinniet occultum densa sub fronde sacellum
Indorumque rudis cantum chorus incinet illum:
80 «Stellis descendis, Rex Caeli, teque latentis
accipit umbra specus, heu! frigore stricta geluque...»,
dum Tropici fervet vehemens atque humidus aestus!

Interea vetus annus abit, novus incipit annus.
Nos habet acris hiems ; ningit, nihilominus album
85 laetitiae nostrae color est: lascivulus en grex
missilibus niveis pueri certamina ludunt
aut parvis vecti traheis rapiuntur ovantes
per pronam vallem, voces cava personat echo.
Temporis huius enim domini pueri esse videntur...

90 Par erit humanae divina puertia: caris
cum sociis illam ludentem Nazareth arcti
adspicient vici vel aprica cavaedia pagi.
Quin recte faciens Divinus Parvulus olim
rex erit in ludis cum sane non simulatus
95 Rex sit ab aeterno, mundi cui summa potestas.
Et venit in mentem bene nota Prahensis imago
Divini Pueri, convexo suave sigillum
inclusum vitro. Tunicam stans induit albam,
cumque habitum vestis permutent saepius illi
100 vesticulas varias pretioso stamine textas,
virgo dicata Deo quas dum pia consuit atque
pingit acu, fors matrum animo sibi gaudia finxit.
At fragiles humeros regalis cingit amictus,
insigni premitur caput infantile corona;
105 Rex est omnipotens quamvis puer: indicat astra
ille tribus dextrae digitis laevaue pusilla
depictum in sphaera terrarum sustinet orbem.
Omnes ipse etenim stellas terramque creavit,
sunt penes hunc puerum tempestas, imber et ignes
110 imperat et nimbis, si vult, caelumque serenat;
usque adeo Deus ac pariter puer ut videatur

dum nix planities intacta ut pagina condit
rubra cum graphide tropicos depingere flores
qui nostram decorant hoc sacro tempore brumam,
115 ludi pensa fere navans argutus alumnus
sed rerum quas tam lepide delineat Auctor!
Oh, lex est quidquid puerilia labra loquuntur,
fit fatum quidquid tenero sub pectore versat,
alta Dei quamquam nobis occulta manet mens;
120 nescimus quare dum flet terrestris ut infans,
humani consors factus sociusque doloris,
(sic Deus erga homines mirum testatus amorem)
tantam permittat Sumatrae in litore cladem!

125 Altera nox aderat postquam descenderat astris
Rex Caeli misera nascens praesepis in aula,
transieratque Eius iam prima diecula vitae.
Oh, fulgebat adhuc hesterna ut nocte cometa;

130 somnis in nostris submissa ac dulcis ut echo
caelituum cantus memori sub corde sonabat!
Cum subito barathris agitari coepit in altis
Indicus Oceanus magna et fractura moveri
crustae terrestris pelagus quam mergit Eoum.
Tum late fundus maris oscitat , imitus ira
Vulcani erumpit trepidasque incalfacit undas.
135 Ut terrae vasto tremuit tota Asia motu!
Tunc, Puer, dormis, quasi lallus blandulus esset
hoc mersi mundi grave formidabile murmur?
Nonne (ut sacra Prahae nobis icuncula monstrat)
lactea terrarum tua palmula sustinet orbem?
140 Non ulla a furia pelagi fuit insula sospes,
non Sumatra ferax piperis, non caerulea Bali,
non Java florentis laetus paradisi hibisci.
Ex alto refluit magno impete vasta procella
nomine *tsunami* quam gens Iapanica dicit
145 actaeque accedens consurgit ad aethera fluctus;
litora transcendit, pagos invadit inermi
demersos somno penetratque fragosus in altas
silvarum latebras ubi, vestigantis odorem
umbrarum, noctu fera lumina tigridis ardent;
150 indignam perubique necem trahit atque ruinam
et centum pereunt duo millia paene animarum!
Cur sinis haec fieri? Rerum nonne unicus es Rex?

**Atqui hominum lacrimas bene noveris, ipsa dolebit
quam mox incipies risu cognoscere mater
155 cum Te maesta mori fatali in colle videbit!
Sistimus ad sanctas cunas; tibi, Caelica Proles,
qui nondum loqueris, loquimur sermone latino.
Haec pia lingua precum qua quondam suevimus uti
cum pueri fuimus ducebamusque propinquum
160 numen adesse tuum. Longe nunc esse videris,
tum Te conatur vetus hic attingere versus.
Et nobis ridet peregrini purpura floris,
vivax paene spei mireque superstes imago,
qui iam felici novit sub sidere solem
165 et nunc in gelidis floret regionibus Arcti.**

INCIPE, PARVE PUER, RISU COGNOSCERE MATREM